

X XX V. IV. DIGNITATEM, quam *supra* θ . 12. Sapientiae assi-*Cap.* 13.
gnavimus, propter rationes allatas: Sed cum hominis duplex sit
finis, perfectio intellectus, & bonum voluntatis, ratione illius,
Sapientiae, ratione hujus, Prudentiae principatum tribuimus
Keck. in iss. pract. quaest. 3. p. 36. & sic hastenas de virtutibus in-
tellectualibus, tam contingentibus, quam necessarijs quibus has
addemus quaestiones.

Quaestio I.

Prudentia in bello an suadeat peregrinos;
an indigenas milites?

Quemadmodum non satis est Physiologo cognoscere quod
homo animal sit aut corpus, & Medico quod febris sit affectio
praeter naturam, aut morbus ex intemperie: sed etiam quale ani-
mal sit, an rationis particeps, an expers: aut morbus ex intem-
perie humida, vel calida, vel frigida, vel sicca, scire omnino est
necessarium *Christoph. Ehem. de princip. jur. lib. 2. c. 1. p. 100.* ita fu-
turo belli Imperatori non multum utile erit intelligere, ad bel-
lum militibus opus esse, nisi etiam quales illi esse debeant, pere-
grini, an indigeni diligentissime percipiat atque cognoscat. Verum
cum haec absque longo usu & experientia ex quibus prudentia na-
scitur ut patet ex *Aristot. lib. 6. Eth. c. 12. & sup. θ . 31.* sint incogni-
ta, eam tanquam consiliarium adhibeat, & rationum, quae hic se
in utramque partem offerunt, praecellentiam & dignitatem ponderet,
ipsi incumbet. Pro peregrinis contra indigenas haec pugnant
1. quod arma feroces reddant subditos & ad rebellionem procli-
ves, ideoque tutum non esse subditos armare, cum saepe istis con-
tra Magistratum usurpent, *Timpl. part. 3. Pract. Phil. lib. 4. c. 10. q. 10. p. 478.*
ut Bulgari gens Scytica atque fera, quae Zelotim regem
suum populari impetu occidit, cum Graecorum bello victus do-
mum reverteretur *Baptista campo fulgosus lib. 9. c. 7. p. 1274* 11. quod
extranei saepe ad arma tractanda magis idonei sint, quam indige-
nae, quod tam veteribus quam novis apertum est exemplis, Pro
illis sunt Romani qui semper militari disciplina alios superarunt
Plin. de viris illustr. c. 35. unde Romae nulli Civium licuit, ullum ma-
gistra,